



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Ad Tit. XXXII. De Conversione Conjugatorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

## AD TIT. XXXI. DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

**D**E Clericorum seu personarum Ecclesiasticarum vita, moribus, bonisque externis expositum est haecenus: sequitur nunc de Religiosis seu Regularibus, id est, certæ vivendi regulæ adscriptis, eorumque moribus & bonis externis. Fiunt autem Religiosi per ingressum si-

ve possessionem Religionis, eamque vel tacitam vel expressam: qua de re, & an professus unam Religionem ad aliam transire possit, quantum satis est ad hunc locum, vide D. Canis. in Summa lib. 1. tit. xxv. V. A.

## AD TIT. XXXII. DE CONVERSIONE CONIUGATORIIUM.

## SUMMARIA.

1. Coniugati qui dicantur.
2. An & quantum ad Religionem transire possint.

**C**oniugatos vocamus virum & mulierem in unum quasi iugum matrimonii coactos: quorum ea conditio est, ut semel legitime coniuncti divertere à se invicem nequeant, idque ob perpetuum & indissolubilem matrimonii actum, cap. Gaudemus 8. inf. De divor. D. Canis. in Summa lib. 2. tit. 21. §. 1. Quod omnino procedit in matrimonio rato & consummato. † Exceptis duobus casibus; quorum prior est, si coniugati mutuo consensu Religionem ingrediantur &

profiteantur, cap. 4. Orseqq. hoc tit. cum possint sibi mutuo debitum conjugale remittere, seque invicem ab eo absolvere arg. l. penult. C. Depast. Hac tamen cautela adhibita, ut virò Religionem ingrediente de consensu uxoris, etiam uxor Religionem aliquam profiteatur, vel saltem castitatem in seculo voveat, si non sit suspecta de continentia, veluti si sit senex, d. c. 4. Or. c. Significavit 18. hoc tit. Nam alias maritus, etiam qui consentiente uxore Religionem ingressus est, repeti ab uxore potest, c. Accedens 17. hoc tit. Porro matrimonio rato & nondum consummato, alter coniugum etiam invito altero ad Religionem transire, eamque profiteri potest, c. 2. Or. cap. Ex publico 17. hoc tit. Canis. in Summa lib. 2. tit. 21. §. 2. V. A.

## AD TIT. XXXIII. DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

**A**lter casus, quo dissolvi matrimonium ratum ex causa religionis potest, proponitur hoc Tit. idque occasione eius, quod dictum de coniugatorum fidelium ad Religionem monasticam conversione. Nam infidelium coniugatorum alter ad religionem Christianam conversus alteri in infidelitate permanenti coha-

bitare, si periculum vita aut alias melitiosa aliqua machinatio subit, non cogitur, sed ei liberum est divertere, & ad secunda vota transire, c. Quanto 7. inf. De divor. Canis. in Summa lib. 2. tit. 21. §. 3. Proles educanda parenti converso assignari debet, cap. 2. hoc tit. V. A.

## AD TIT. XXXIV. DE VOTO ET VOTI REDEMPTIONE.

## SUMMARIA.

1. Votum quid.
2. Aliud solemne, aliud simplex.
3. Effectus voti.

**D**e voto sequitur, quia supra dictum est, Religionem fieri professione, id est, voto c. Correctum 13. sup. De regularib. Est autem votum voluntaria & deliberata promissio Deo facta, de aliquo faciendo vel non faciendo. Dicitur, voluntaria, quia per votum quis sibi ultro